


Varnarræða móti biskupum

ANECDOTON
HISTORIAM SVERRERI
REGIS NORVEGIÆ ILLUSTRANS.

E Codice membranaceo Bibliothecæ
ARNA-MAGNÆANÆ

cum versione latina et commentario

edidit

M. ERICUS CHRISTIANUS WERLAUFF, Prof.
e Seviris Arna-Magnæanis.

HAVNIÆ.
Typis THORST. E. RANGEL.
MDCCCXV.

ANECDOTON

HISTORIAM SVERRERI

REGIS NORVEGIÆ ILLUSTRANS.

Sumtibus Legati Arna-Magnæani

Edidit E. C. WERLAUFF.

MANIBUS

SCULII THEODORIDÆ THORLACII

ET

JOHANNIS OLAVII

inter Seviros Arna-Magnæanos
olim meritissimorum,

in Antiqvitatis Septentrionalis adyta
Mystagogorum,

pia et grata mente

consecrat
Editor.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

PROLEGOMENA.

En! lector benevole, tractatum, in Nor. Kon. SS. T. IV. Præf. p. IX. jam prænuntiatum, de cujus autographo, ætate et valore uberior hic dabitur notitia.

Mihi qvondam cimelia bibliothecæ Arna-Magnæanæ perscrutanti, obtulit sese Codex membranaceus No. 114. A. 4to præter qvædam juridici et computistici argumenti et designationem limitum Norvegiam inter Sveciamqve et Rutheniam *a*), tractatum hic publici juris factum, complexus.

Contentum arguit universum istum Codicem in Norvegia exaratum fuisse. Singula manus diversas, nullam tamen Sec. XIVto antiqviorem, præferunt. Sententiam de his talem codici adscripsit Joh. Olavius Grunnavicensis: "Orthographia et ductus literarum satis clare indicant codicem hunc in Norvegia post A. D. 1300 seu Sec. labente XIV. exaratum esse, qvando scil. Norvegi corruptam tunc temporis Orthographiam Danorum

a) cfr. Schöning Norges gamle Geographie p. 132.

"et Germanorum (scil. æ pro e, et h post d et g, "w etc.) imitari inciperent." Tractatus præsens duodecim Codicis paginas, viginti qvatuor columnis distinctas, occupat. Literaturæ specimen sistit tabella sculpta, fronti libelli præfixa. In ectypo adornando, authographi orthographiam sat singularem adhibens, Palæographiæ norvegicæ studiosis, rem gratam me fecisse confido. Hocce anecdoton, semel modo allegatum *b*), meam statim excitavit attentionem. Exscripsi illud, qvatenus visum haud fefellerunt literæ fugientes, temporisve injuria huc et illuc omnino exesæ; exscriptum diligenter examinavi. Deprehendi illud sistere apologiam pro regia Majestate et qvidem pro Rege qvodam Norvegiæ contra clerum ferocem, res novas molientem, jus patronatus privatis subtrahentem, patria excedentem, regnum deniqve anathemate ferientem. Bis novimus tales inter Regem clerumqve Norvegiæ graves controversias obtinuisse, nimirum sub R. Sverrero et sub R. Erico Cleriosore (F. Johannæi Hist. eccl. Isl. Tom. I. p. 401-446). Cum autem ultima vice, tantas turbas movere Clero haud contigit, qvam priore, cumqve filiorum Haraldi Gillii memoriam adhuc suis diebus viguisse auctor refert, hunc Sec. XIImo exeunti adeoqve ævo Sverreri adscribere, nullus dubitavi. Credo igitur operis me fecisse pre-

b) Suhmii et Schöningii *Forbedringer* p. 414.

tium, publici juris reddendo monumentum, Theodorico Monacho et Speculo Regali coævum, historiamqve Norvegiæ Sec. XIIImi exeuntis illustrans.

Ut vero hoc meum judicium, tam de ætate qvam de pretio hujus anecdoti, firmis qvodammodo argumentis superstruam, auctoritatem cleri Norvegicæ primævam tam de jure qvam de facto, ejusdemqve cum Sverrero controversias præmissa dissertatiuncula exponere conabor. Sit ea symbolæ instar, ad historiam Hierarchiæ Norvegicæ, in multis adhuc obscuram incertamqve, illustrandam et augendam.

Fontes, ex qvibus hic nobis hauriendum est, inprimis adsunt Historiæ (Heimskringla, Sverrissaga) Diplomata et Leges.

I.

Legum præceptis cum historiæ testimoniis collatis efficitur, nunqvam auctoritatem regia Majestate superiorem Clero competiisse, nec hanc sibi talem, ante imperium Magni Erlingi fil. unqvam vindicasse. Nulla enim leges antiqvæ Hierarchiæ prævalentis vestigia exhibent, contrarium potius indicantes (Speculum Regale Præf. p. LXIII). Episcopum futurum, qvem Rex velit, præcipit Jus eccl. Heidsivic. (Coll. Paus. II. p. 291.) c) et

c) Illud jus eccl. Magni Leg. Emend. Leg. Heidsivicæ præfixum ex mente J. Olavii (Synt.

Noster docet (infra p. 74.) jus Episcopos constituendi, usqve ad Archiepiscopatum fundatum penes Regem fuisse d); imo Eysteinus Archiep. inaugurationem Episcopi, absqve regio consensu, recusavit (Thorlaks Biscups S. c. XII. MSS). Dicta Lex mutuas obligationes Episcopi populiqve sistit (l. c. p. 292). Insuper leges modum præscribunt, qvo Episcopus ejusve procurator actiones circa munus suum instituent (Haqv. Adalst. L. Gul. ap. Paus. I. p. 51), Episcoposqve ad officia qvædam vel sub pæna obligant (Jus eccl. Heids. l. c. p. 291). Eadem servat principia Jus eccl. Island. vetus ad normam legum Olavi sancti maxima ex parte compositum: "Si Episcopus officium sibi iure in-"cumbens deneget, illi (quorum interest) decimas "episcopales retinere possunt" (p. 63).

Juris patronatus, qvatenus privatis competebat, primam originem ab ethnicismo inde repetere licet. Qvivis tum, delubri (hof) a se ipso exstructi dominum se gerens, vectigal (hoftoll) ad ejus con-

de Baptismo. Proleg.) Sec. XII. ineunte compositum est, ab Erici vero (Holbergii Staat. p. 499) Sverrero vel Haqvino Haqv. f. tribuitur.

d) De Haraldo Imperioso constat, Episcopos eum constituisse, vel refragante Archiepisc. Bremensi. vid. Suhm, et Schöning Forbedringer p. 395.

servationem ab omnibus qvi ibidem sacris adfuerunt, exegit. Similis, primo Christianismi tempore, ratio obtinuit. Loqventem afferre lubet F. Johannæum (Hist. Eccl. Isl. T. I. p. 291): "Ditiores plerique templa . . . ædificare certarunt iisqve campanas, vestes sacras etc. suis sumptibus comparaverunt . . . . Nonnulli et ipsum "fundum totum, dimidium . . . . legarunt. "Sed singuli ea conditione et cautione adhibita, ut "ipsi, eorumqve posteri, has in res tam mobiles "qvam immobiles, patronatus jure semper gauderent, "omniumqve bonorum usum fructum caperent." Id vero jus ordo ecclesiasticus dicto tempore nihilo magis sibi asserere sustinuit. Evincunt id ipsa legum præcepta: "Ef gera einkamenn kirkiu, lendr-"madr eda bonde eda huerr sem gerir kirkiu, þa "skall þeim upphallda oc alldri tuft öyda. o: Cuivis "privato, sive satrapæ, sive colono, sive cui demum "ecclesiæ ab ipso exstructæ conservatio incumbit, "destructio interdicta est." (Jus. eccles. Sverr. cap. XV. MSS. cf. Haqv. Adalst. L. Gul. ap. Paus. I. p. 18). Auctoritas Episcopi circa ecclesias ita definitur: "Nu er þat þvi næst, at biskup var skal "kirkium ráda e), sem Olafr hiun helge iáttadi

e) Biskup skal ráda kirkium ok kristindom öllum ok kennimenn þá tilsetia er hann vill etc. Jus eccles. Biarköense (filiis Magni Nudipedis

"Grímkeli biskupi á Mostrarþingi, oc sva sem "ver vordóm ásáttir sidan. Biskup var skal presta "til kirkna sá alla þá sem hann veit at rettar tidir "kunnu at veita mönnum oc hann hefir oss þvi "heitit, at ver skulum þa kennemenn hafa sem oss "þikkaz. Þat er forn rettr." "Episcopus ecclesiis "consulat, qvemadmodum ab Olavo sancto Episc. "Grimkelo in foro Mostrensi indultum fuit, et dein- "ceps inter nos convenit. Episcopus noster sacer- "dotes, sacris administrandis idoneos nobisqve accep- "tos, ecclesiis præficiat. Id antiqvis legibus recep- "tum." (Jus eccl. Sverr. c. XVIII). Ex aliis vero legibus ecclesiasticis, vel minor qvoad hæc auctoritas Episcopis tributa videtur. Sic Jus eccl. Island. vet. p. 56. cuivis permittit puerum, propria cura edoctum, ecclesiæ suæ præficere; imo ex Jure eccl. Vicens. (filiis Magni Nudipedis adscribendo) cap. XII. Episcopus sacerdotem a colonia templo toparchiali præfectum removendi jus non habuit, nisi testes de ejus inhabilitate ignorantiæ causa, adessent.

Eysteino inprimis, forsan adscribendum) in Coll. Paus II. p. 267. Eadem occurrunt in Jure eccl. Frostensi (ex mente Erici, Holbergii, Staat p. 498, vel Sverrero vel Haqvino Haqv. f. tribuendo) ap. Paus. I. p. 216. Plura de his vide Jus eccl. Heidsiv. ap. Paus. II. p. 292.

Tam arctis finibus circumscripta fuit auctoritas Cleri, de facto usqve ad Sec. XIImum exiens, de jure usqve ad Archiep. Johannem sub R. Magno Leg. Emend., licet indicia qvædam obscura innuere videantur, Clerum filiis Har. Gillii qvasdam indulgentias, auctoritatem regiam in rebus ecclesiaticis restringentes, extorsisse. cfr. Literæ Haqv. Sverr. Thorkel. Dipl. II. p. 19. Magni Erl. Lit. 1174. ib. p. 10. Apud Islandos vero Hierarchia maturius vires cepit, ab A. nimirum 1053, qvo, occasione electionis Episcopi Isleifi, plene et solenniter constitutum fuit, ut Juri divino ɔ: canonico, seculare ɔ: civile cederet: (þar sem á greindi Guds lög og landz lög, þa skyldu Guds lög ráda; Jus eccl. Arn. p. 54). Idem statutum jam A. 1080, ut videtur, confirmatum, Ep. Thorlacus circa 1180 et Episc. Arnas Sec. XIIItio in eorum cum laicis de jure patronatus controversiis, sæpius allegarunt. (F. Johann. H. E. Isl. T. I. p. 133. 263).

II.

A. Chr. 1152 constituebatur Archiepiscopatus Nidrosiensis. Ex historia fundationis, qvalem nobis reliqvit Heimskringla (T. III. p. 362. cf. 434), nec leges S. Olai hocce novo instituto abolitas, nec

regiam auctoritatem detrimentum passam fuisse *f*), apparet, Nosterqve refert (p. 78) R. Ingium primo Archiep. Johanne Birgeri f. A. 1157 defuncto, Capellanum suum Eysteinum sedi vacanti præposuisse, Canonicorum posthabito suffragio, licet inauguratio ejus usqve ad A. 1161 dilata, de impedimentis objectis suspicionem tamen moveant (Heimsk. III. p. 429). Sedi vero Archiepiscopali redditus "ingenti "popularium omnium favore et gratia florebat, ipse "qvippe ad res gerendas strenuus, et claritate ge-"neris insignis."

Jam ab A. 1136 Haraldo Gillio emortuali, regni, inter plures imbecilles sibiqve invicem inimicos principes, divisio, gentis in diversas partes studia, turbæqve a variis sive competentibus sive incompetentibus regni æmulis motæ, bella civilia, per integrum seulum Norvegiam vexantia, excitarunt. In medio

f) Anastasius IV. in Litt. ad primum Archiepisc. Johannem datis Laterani 1154 ei mandat: "Curæ tibi sit magis hominibus prodesse qvam præesse. Non in te potestatem ordinis, sed æqvalitatem oportet pensare conditionis." Addit tamen: "super omnia studium tibi sit, Apostolicæ sedis decreta firmiter observare, eiqve tamqvam matri et dominæ tuæ obedire." Thorkelini Diplom. Arna-Magnæan Tom. II. p. 6. Juramenta Eysteini, Sigurdi et Ingii literæqve Eysteini, hac forsan occasione datæ allegantur in literis Haqv. Sverr. fil. de compositione cum Archiep. inita, ibid. p. 19.

relinqvendum est, qvalem hæc exitum habuissent, ni vir, tali, qvo Eysteinus, ingenio, tali Hierarchiam promovendi studio præditus, munus archiepiscopale sustinuisset. Haud latuit ipsum, tali rerum statu, regia auctoritate labefacta, Ecclesiæ potestatem facile augeri posse. Qvod propositum, ut sensim sensimqve se accommodando attingeret, et de Thrandorum, gentis partis præcipuæ, a qvibus perlubenter exceptus fuerat, animis certior evaderet, "colonos sollicitans, Cathedræ primum inopiam edocebat, monstrabatqve, qvantis egeret incrementis, si tanto "jam, qvam olim, esse deberet lautior, qvanto nova "honoris accessione, Archiepiscopum scilicet nacta, "nunc esset augustior. Rogabat ergo populares, ut "sibi debitas pensiones (mulctas), Oris argenteis solvere vellent, qvas prius pro mulctarum Regi pendendarum valore taxatas accipere erat solitus.... "Eo autem necessitudinum amicorumqve in Archiepiscopum studia, et industria ipsius auctoritas valuere, ut res optatum sortita effectum, per universam Thrandhemiam, tractusqve reliqvos, archiepiscopali ipsius sedi addictos, legitimo populiscito "irrogata fuerit." (Heimsk. III. p. 429. IV. p. 198.) Eodem forsan tempore ferebatur lex penna aurea (Gullfiödr) dicta, ab ipso Archiepiscopo literis mandari curata (Hmsk. IV. p. 204). Mox vero latior ejus ambitioni campus pandebatur. A. 1161 post

obitum R. Ingii Haraldi fil. Erlingo Skakkio, viro ingenio et virtute bellica insigni, Sigurdiqve Hierosolymipetæ genero, contigit filium Magnum a factione jam Regem salutatum (Hmsk. III. p. 411), ad totius dein Norvegiæ imperium evehere (p. 420), Archiepiscopo cæterisqve Episcopis suffragantibus, ipsoqve vicissim Erlingo fidem dante, se jus divinum o: canonicum, pro virili fore promoturum (p. 435). Duobus æmulis, jure propiori regnum postulantibus, profligatis, secum constituit filii imperio, inauguratione apud alias gentes usitata, divinam qvasi addere sanctionem. Ea vero absqve Archiepiscopi suffragio obtineri non poterat. Conventum igitur Bergis habendum indixit, cui præsentes adfuere Romanæ sedis legatus, Archiepiscopus pluresqve Episcopi. Crebra tum Eysteini Archiepiscopi cum Erlingo et sine arbitro colloqvia fuere. Post mutuam altercationem, qva Erlingus Archiepiscopum de mulctarum augmento, hic vero Erlingum de filio Magno, dignitatem regiam, licet ipso non Regis filio, contra leges et exempla ursurpante, compellavit, colloqvium utrinqve mitescere incepit. "Tu Magnum in regno," subjecit Erlingus, "prout pollicitus es, confirmato; ego tuam potentiam qvibusvis emolumentis augebo et fulciam . . . . . Qvod si "Magni R. electio pristinis hujus regni institutis "minus est congrua, licet tibi pro potentia et auc-

"toritate muneris Regem ipsum inaugurare, qvem-"admodum Regem ad imperium inungi leges divinæ "præscribunt. Mater R. Magni Regis Reginæqve "filia legitima est; ipse adeoqve . . . . . a te modo "Rex solenniter inauguratus, regno postea nullo jure "dejici poterit . . . . . Jam patriæ nostræ Archiepi-"scopatus prælustre decus accessit; huic igitur aliud "salubriter adjiciamus: illud scil. ut, non minus "qvam Dani Angliqve, Regem habeamus corona-"tum." Votis Erlingi morem gessit Eysteinus. Legato in sententiam ejus facile pertracto, Episcopis suffraganeis cæterisqve ordinis ecclesiastici viris unanimi consensu Archiepiscopi postulatis subscribentibus, inaugurationi regiæ nil obstitit, qvæ rite peracta fuit. (Hmskr. III. p. 434—36. IV. p. 198. cf. Suhms og Schönings Forbedr. p. 419) g). Exhinc Archiepiscopus Regi Magno addictissimum se præbuit (Hmskr. IV. p. 6). Eysteinum tamen Regis auctoritatem, vel in negotiis ecclesiasticis, vene-

g) Juramentum tunc a Comite Erlingo et filio præstitum fuisse affirmat Hmskr. III. p. 437, idemqve confirmavit Haqv Sverreri f. in literis reconciliationis 1202: "so sem eidar þeirra vatta, er svorner varo firer. Legato Fidentio þa er Jallen hof deilu vid Öystein Erkibiskup um heilaghrar kirkiu frelsi." Thorkelini Dipl. II. p. 19. cf. Torfæi Hist. Norv. IV. p. 243. 247.

rabundum suspexisse, exinde probatur, qvod A. 1177 Episcopi ordinationem, ante Regis Comitisqve consensum impetratum, abnuit (Thorlaks Biskups S. MSS. c. XI XII.). Interim Erlingus adversarios, e domu regia oriundos, fortiter oppugnare perrexit. A. 1174 orta est factio, initio qvidem tenuis et misera, mox vero viribus aucta omnes cæteras oppressura, Betulopedum nimirum, qvorum Dux primus et Rex Eysteinus Meila ex filio Eysteino nepos Haraldi Gillii, post infausta qvædam molimina A. 1177 cecidit. Licet iste Erlingo filioqve Regi adversarius haud admodum formidabilis esset, veri tamen simile est, hunc eventum Archiepiscopo occasionem dedisse, famosam illam capitulationem et apud Norvegos antehac inusitatam, a Rege Magno obtinendi, qva hic ita: "me cum regno in perpetuum et glorioso "Martyri Regi Olao: cui integraliter speciali de"votione secundo post Dominum regnum assigno "Norvegiæ, et huic regno, qvantum Deo placuerit, "velut ejusdem gloriosi martyris possessioni hæredi"tariæ, sub ejus dominio, tanqvam suus vicarius et "ab eo tenens præsidebo . . . . In perpetuæ "qvoqve subiectionis testimonium, hoc pro me et "pro omnibus meis catholicis successoribus privi"legium, huic metropolitanæ ecclesiæ concedo et "literis meis sigillatis confirmo, ut post vocationem "meam regale diadema et meum, qvod hodierna die

"sacro altari in confirmationem offero, et omnium "mihi succedentium, præsenti delegetur ecclesiæ . . " . . . . . Præterea dignitates et privilegia, huic "Ecclesiæ propter honorem pallii concessa et legibus "confirmata, et præter hoc de electionibus faciendis "et Ecclesiis disponendis, in qvibus olim regius con- "sensus abolitus est et abjuratus scilicet Regibus "irreqvisitis et Episcopatus darentur et Ecclesiæ, et "reliqva tunc concessa . . . . . his literis et annuo "et confirmo." (**Thork. Dipl. II. p. 8—16**) *h*).

h) Hæ literæ summi momenti actæ 1276 (?) X. Cal. Apr. in vestiario Eccles. Nidrosiensis impressæ extant in **Suhmii et Schöningii Forbedringer** p. 428, et **Thorkelini Dipl. II.** p. 8 sq. Pro 1276 substituendum esse 1174 jam vidit et probavit **Arnas Magnæus** et **Schöning** l. c. p. 431. Nec vero hicce scribæ error, nec Snorrii de hac transactione silentium, copiam dat easdem cum V. Cel. **Thorkelino** l. c. Ind. p. 2. pro figmento Cleri seqvioris ævi habendi. Allegantur enim partim explicite, partim implicite in **Lege Gulensi** ant. (ap. **Paus.** I. p. 3), ab Archiep. Erico circa 1193. (**Scr. Rer. Dan.** VI. p. 20), in Cælestini III. Bulla protectoria 1194 (**Thork. Dipl.** II. p. 13), in literis de compositione inter Haconem R. et Ericum 1202 (ibid. p. 19), in controversiis inter R. Haqvinum Haqvini f. et Episcopos Cardinalemqve de coronatione (**Torfæi H. N.** IV. p. 243, 247), in transactione Tunsbergensi inter R. Magnum et Archiep. Johannem 1277 (**F. Johann.** I. p. 386), deniqve in Brevi Honorii Papæ ad R. Ericum Clerio sorem (ibid. p. 405)

Qvæ in his literis de successione regia et electione modo leviter adumbrantur, in capite Leg. Gulensis ant. R. Magno, Archiep. Eysteino et Com. Erliugo adscripto, fusius exponuntur. Coll. Pausii T. I. p. 2—4. Ibi enim inter alia præscribitur, ut Rex Norvegiæ sit Regis filius legitimus major natu, eoqve ob apostasiam inhabili, frater ejus genuinus, qvem Archiepiscopus cum Episcopis suffraganeis et viris delegatis idoneum censeant; filiis vero deficientibus proximus hæres legitimus, vel, eo inhabili, Regis deinqve nomine is salutetur, qvem viri delegati, inter qvos Archiepiscopus et Episcopi, idoneum declarent; his vero in diversa euntibus, Archiepiscopi et Episcoporum suffragia prævaleant. Insuper, Rege defuncto, omnes Episcopi, Abbates, aulæ modera-

et fotsan a Nostro p. 72. In dicta transactione Tunsbergensi, qva fuse inprimis commemoratur hæc capitulatio, sive ut vocatur privilegium (frelsisbref), nulla imposturæ suspicio occurrit, cumqve asseritur (p. 387) "Regem habere raciones si super his coram justo judice duceret contendendum, et maxime contra electionem, subjectionem et oblacionem corone de qvibus vix vel nunqvam possit probari Nidrosiensem possessionem habuisse, et novûm genus exactionis videri poterat, illud ab eo exigi, qvod non fuerat hactenus attemptatum vel consvetum," indigitatur modo, Archiepiscopos nunqvam pleno et inturbato hujus privilegii exercitio usos fuisse. cfr. Spec. Reg. Præf. p. LXIV.

tores (hofstiorar) cæteriqve aulici cum XII viris ex qvavis diocesi delegatis, intra mensem Nidrosiam petant, cum Archiepiscopo consultaturi; Regis vero defuncti corona Ecclesiæ Nidrosiensi, pro salute animæ ejus, offeratur. Ego certe credo, Archiepiscopum hac lege motus intestinos inhibere voluisse, simulqve cavere ne qvivis imperium pro lubitu capesseret *i*). Insuper hæc constitutio legibus recentioribus videl. Magni L. Gulensi. Tit. de Christian. c. VI. et Ejusd. Juri Aulic. c. III. inserta est.

Dubitare non licet, qvod nimis prævaluisset Cleri Norvegicæ auctoritas, Regis sensum decrescente, ni brevi post prodiisset vir magni ingenii, cui hierarchiam, si non deprimere, tamen certis limitibus circumscribere, contigerit. De Sverrero loqvimur. Is circa A. 1151 in Norvegia natus, in Færöis dein educatus, juventutem ibi transegit usqve ad A. 1176, cum a matre Gunhilda de natalibus suis edoctus ad imperium Norvegiæ adspirare incepit. Regisne Sigurdi Bronchi ex Gunhilda filius revera fuerit, necne, in medio relinqvere cogimur *k*).

i) Ea sane spectasse videntur Optimates in coronatione Magni Erl. vid. Hmskr. IV. p. 430. ex Gvil. Neubrig.

k) Ultimum jam suspicatus est Suhmius H. D. VII, p. 476.

Qvæ nobis de ipso constant, partim scriptoribus islandicis, ipsi et domui ejus addictis, partim exoticis, qvibus exules Norvegi adversæ partis materiam suppeditarunt, debentur, adeoqve neutri qvovis respectu fidem merentur. Attamen vel in ipsius Vita plura occurrunt indicia, qvæ de natalibus ejus dubitandi saltem ansam præbent. Ne loqvar de dissensu inter Historiam ejus a Carolo Abbate conscriptam, et Joh. Martinum P. Claudiumqve antiqviores certe relationes secutos, tam qvoad genus ejus a matre proditum, qvam qvoad ipsius sacerdotium, obtinente *l*), ipsius Sverreri effata suspicionem qvodammodo movere videntur. Palam qvidem se filium R. Sigurdi, illegitimum licet, nuncupavit *m*), sed nunqvam assertionem suam probavit, imo genus paternum pariter omnes nescire, nisi qvantum

l) Torfæi H. N. III. p. 583. Suhmii H. D. VII. p. 475. Dansk Literaturtidende 1814 p. 253. Etiam dubitatum fuit, an sacerdotali dignitate unqvam revera inauguratus fuerit. Epp. Innocentii III. ed. Baluzio Tom. I. p. 226: "ipse qvondam ecclesiastico (sicut dicitur) functus officio." cf. Lagerbring Hist. Svec. II. p. 198.

m) Heimskr. IV. p. 111, 176, 231. cfr. Epp. Innoc. III. p. 226: "secundum etiam suam assertionem illegitime natus." p. 227. "in matris infamiam se asserens de regali progenie descendisse."

ipse profiteretur, haud inficias ivit (Hms. IV. p. 14). Qvinimo milites licentia morum incompositos, prolixa declamatione qvondam reprehendens, et ipsis et colonis præsentibus jus suum in regnum Norvegiæ his argumentis demonstravit: "Qvo qvæsito "argumentorum colore Episc. Nicolaus regnum a "me abjudicet, mihi certe non liqvet. Nomen re-"gium usurparunt multi vel ex ancillis nati; me "autem pro vero R. Sigurdi ex Gunhilda filio ha-"bendum censeo: qvo autem illa orta sit genere, "multis jam vulgo pernotum. Qvod si vero hic "qvidam adfuerint, de qvo nec ipse dubito, qvibus "ista res parum hactenus cognita, illius aliqvalem "me docente notitiam adipisci nunc poterunt." (ibid. p. 231.) Addit insuper Auctor: "Matris deinde "prosapiam per singulas familiæ propagines eundo "coram universa concione recensuit, qvo facto multi, "rem prius ignorantes, sibi vel a patre vel a matre "propinqvos, qvi Regem simul certo necessitudinis "vinculo attingebant, cognovere. Nec prius loqvendi "finem Rex fecit, qvam demonstratum dedisset, ho-"minum tunc temporis, qvantum sibi constaret, in "Norvegia degentium neminem reperiri, qvi ex di-"vino humanove judicio, justiore, qvam ipse, titulo "regnum obtineret" Ecqvis hæc legens, haud agnoscit plebis credulitatem simulqve astutiam Sverreri, qvi vanitatem illius, necessitudinis demonstra-

tione, permulcens, ortum maternum deducere studeret, paternum vero, de qvo unice qvæstio, ne verbulo qvidem probatum iret. Notatu omnino dignum est, eum nec suos natales, ex tot hominum sententia ambiguos, explorationi legitimæ, qva adversariorum conatibus finem faceret, unqvam subjecisse, nec magis ferri candentis examini, qvod ab Erico fratre exigebat, qvodqve mater nepotis ejus Haqvini posthac sustinebat, se ipsum matremve, qvæ post ejus in Norvegiam adventum penitus disparet, unqvam obtulisse, unde porro non omnes coævi prosapiæ ejus regali fidem habuerunt; id qvod evincit vel ipsius fratris Erici, cum ferrum gestaret, effatum: "Ad asserendos alienos, præterqvam meos "ipsius natales paternos, ferrum periclitari nolo." (ib. p. 107). Si vero ne regio qvidem stemmate ortus fuerit, sceptrum tamen qvod ipsi ingenium, audacia et fortuna porrexerat, valida manu, contra iteratos æmulorum insultus propugnare sustinuit, usurpator felix, virtutibus et vitiis æqve insignis. Ejus imperium tanqvam Norvegiæ salutare minime laudandum est. Bellis intestinis, qvæ post obitum Magni Erlingi f. integrum sesqviseculum Norvegiam afflixerunt, hic facilius forsan finem imposuisset. Factionem Betulopedum plebs infima pro parte constituisse videtur. (ibid. p. 178. 205.) Verbo: Ipse Sverrerus descriptione sui regiminis ab Archiep. Erico

facta (p. 205), se strictum agnovisse videtur, ideoqve ne verbum qvidem ad Archiepiscopum refutandum attulisse.

A. 1176. R. Sverrerus ex Færois Norvegiam venit. Ibi statim comperiens, qvam infestum ipsius fratribus, qvamqve inimicis studiosum se præbuisset Archiep. Eysteinus, parum ab eo rebus suis emolumenti exspectare ausus est. Tempestive adeo illud, qvo posthac clerum superiorem prosecutus est, odium, ipsius, ab ordine sacro transfugæ, animo insitum fuit. A. 1177. Betulopedum f.ctio, morte patruelis ejus Eysteini Meilæ, principe orbata ipsum, reluctantem licet, rebus suis præfecit, moxqve in comitiis Eyrensibus regem salutavit. Seqventi anno, post incursiones qvasdam et in Norvegiam et in Sveciam vario successu factas, Nidrosiam, ex arbitrio militum, invitus aggrediebatur, pugna navali ab oppidanis, qvibus et consiliis et navi instructa opem ferebat Archiepiscopus, devictus (p 48 sq.). A. 1179 hoste perniciosissimo liberatus fuit, cæso nimirum Comite Erlingo Skakkio, qvi tam in toga qvam in sago filium æqve superaveret ac hic patri amore popularium præstiterat. Archiepisc. Eysteinus res Magni Regis pro virili confulcire perstitit, uterqve copias iterum coegit; verum anno seqventi in Ilævallis victi in diversa se contulerunt, Magno scilicet in Daniam, qva Rex Waldemarus I, ejus propinqvus

imperavit, se recipiente, Eysteino qve Angliam petente n). Hic ibidem per tres annos commoratus, Sverrerum excommunicavit, easqve certe de eo relationes divulgavit, qvas Gvil. Neubrigensis cæteriqve Anglorum Historici Chronicis suis deinceps inseruerunt. A. 1183 post triennii absentiam ex Anglia reversus o) a R. Magni partibus, prælio Bergensi, ultima vice stetit; de rebus enim Magni victi iterum et Daniam petentis desperans et exilii partæsus, cum Sverrero facile in gratiam rediit sediqve Archiepiscopali restitutus fuit (p. 139—35). Qvibus conditionibus Sverrero

n) Hmskr IV. p. 139, 432. A. 1180 adscribit qvoqve Suhmius H. D. VII. p 601. literas Papæ Alexandri III. ad Archiep Nidrosiensem cæterosqve Episcopos suffraganeos et Abbates per provinciam Nidros: de sacerdotibus, qvi cum concubinis degebant, munere tantisper removendis.

o) Hmskr. IV. p. 86, 139. Annales Island. Regii (S. R. Dan. III. p 65) reditum ejus minus recte ad A. 1182 referunt. Qvæ de Eysteino A. 1181 Stafangriæ cum R. Magno commorato, habet Torfæus H. N. III. pag. 616, et ex eo Schöningius (Forbedringer p. 440—41.) Suhmiusqve H D. VII. p. 641. revera de Erico tum Episc. Stafangriensi et posthac Eysteini successore tradit Hmskr. p. 102. Verisimile igitur Torfæus in suo Codice pro Eirik biskup legit Erkibiskup ejusqve auctoritas et Schöningium et Suhmium fefellit. Sic — dulcius ex ipso fonte bibuntur aqvæ.

reconciliatus fuerit, haud constat; forsan inter eos modo convenit, de se invicem non infestando, nusqvam enim reperitur, eum Sverrero opem tulisse. Anno seqventi Magnus Norvegiam repetens, pugnaqve navali victus et cæsus, Sverrero universæ Norvegiæ imperium reliqvit (p. 178). Qvatuor annos, qvibus Magno supervixit Archiepisc. Eysteinus, ab omni republicæ cura remotus, exstructioni et ornatui ecclesiæ cathedralis Nidrosiensis unice intentus, exegisse videtur (Suhmii et Schöningii Forbedringer p. 445). Semel modo publico negotio se immiscuit, matrimonio Ceciliæ sororis Sverreri cum Bardo Guttormi f. se opponens, eandemqve ad maritum priorem Folkvidum Vermiæ legiferum redire jubens; ea vero regerente, se Folkvido non uxoris sed concubinæ loco invitam fuisse sociatam, illico consensit (Torfæi H. N. IV. p. 3). Autumno 1187 morbo correptus post festum natalitium viribus jam fere defectus, a Sverrero, eum invisente, eorum qvibus ipsi offenderat veniam rogavit; qva potitus d. XXVI. Jan. 1188 decessit. Aliqvanto post Sverrerus in choro templi Christi concionans, palam exposuit Archiepiscopum confessum fuisse, "qvod in exercendis secum inimicitiis, ultra, "quam quod recti justique præscriptis optime con-"gruere putarot, progressus fuisset, certis insuper, "quæ a deserendis R. Magni partibus illum prohi-

buissent, rationibus eo vel maxime inductus." (Hms, IV, p. 188—89.) A. 1229 Eysteinus in numerum Sanctorum relatus est. (Schönings Forbedringer p. 449.)

Eysteini mandatum de ritibus in Comitiis Frostensibus observandis, allegatur in Lege Frostensi Hak. Hakon. (Coll. Paus. II. p. 15). Indulgentiam (miskun ok linan) eidem a Papa Alexandro concessam refert Jus eccl. Sverr. MSS. c. LIII.

Expositis Eysteini pro Hierarchia in patria stabilienda conatibus, haud abs re duco penitius inqvirere in merita ejus de ecclesia Islandica, in qvam vel a Pontificibus romanis aliqvod juris et imperii obtinuerant vel sibi ipsis dudum arrogaverant Archiepiscopi Nidrosienses, et in qva talis, qvalem in Norvegia deprehendimus regiam inter et clericalem auctoritatem, collisio extare neqvit. Hinc igitur veram Eysteini rationem clarius forsan dignoscere liceat.

Adsunt tres Eysteini ad Islandos datæ literæ, negotia ecclesiastica spectantes, qvæ abunde monstrant, Eysteinum, ut habet F. Johannæus H. E. Isl. I. p. 2 6, "res islandicas non neglexisse, sed multo magis pravos incolarum mores corrigere, variaqve qvorum illa ætas satis ferax fuit, scelera et ecclesiæ scandala exstirpare, pro virili tentasse." In prima A. 1176 Episcopis cæterisqve Islandiæ incolis inscripta, sacerdotes homicidii reos, eosqve

qvi sacri ordinis viros injuria afficiunt et qvi delicta carnis committunt, reprehendit et excommunicari jubet. Scribit inter alia: "decet sacerdotes laicis "magnopere parcere; et qvanto majus malum, si "lædantur, hos exinde manet, tanto magis caven-"dum est sacerdotibus, ne occasionem suppeditent "damni æterni in utrosqve redundaturi; est enim "qvisqve, qvi sacerdotem vi violenta lædit, a Deo et "Papa excommunicatus." (l. c. p. 236—39.) Secunda, anni incerti, eos qvi sanctitatem templorum violant, vel peregrinatores ad loca sacra spoliant, anathemate dignos pronunciat (ibid. p. 239—43). Tertia an. inc. eos, qvi fæminas invitas rapiunt, anathemate itidem percutit. (ib. p. 243—44.)

Inprimis vero Thorlaci sancti, Episcopi Scalholtensis gesta ævum Eysteinianum mire illustrant, adeoqve, qvæ propius inspiciantur, digna sunt. Ille enim Eysteino coævus, ejusqve vestigiis, licet passibus haud æqvis, incedens, statum patriæ ecclesiasticum ad mentem Archiepiscopi componere totis viribus allaboravit *p*). Natus est A 1133. A prima inde juventute literarum amans, in Eyulfi sacerdotis Oddensis contubernium ephebus adhuc receptus fuit, qvod tandem doctior reliqvit. A Magno Einari f.

p) Mihi ad manus fuit Saga af hinum heilaga Thorlake Biskupe. MSS. ex qva etiam plurima sua hausit F. Johannæus H. E. Isl. I. p. 287—97.

Episcop. Scalholtensi Diaconus, a Biornone Episcop. Holensi sacerdos consecratus est. Ut majorem eruditionem acqvireret, iter ad exteros suscepit, primumqve in Schola Parisiensi, qvamdiu ipsi opus visum (var þar i skola lengi, sva sem hann þottist þurfa til þess nams, er hann vildi þar nema) dein Lincolniæ Anglorum, literis operam dedit. Post sexennii absentiam patriæ restitutus, nutui divino, ut credidit, obtemperans vitam cælibem voluntarie amplexus est. Cænobii Thyckvabæiensis circa id tempus fundati, 1168 Priorem et 1172 Abbatem eum Klangus Episc. Scalh. consecravit. Hisce muneribus tanta cum sapientia præfuit, ut Klangus senex jam et valetudine infirmus, venia ab Archiepiscopo Eysteino sedis Apostolicæ Legato impetrata, successorem eum designaret. Debilitate Klangi increscente, administrationem dioceseos mox capessere necesse habuit Thorlacus; Norvegiam vero, qvam inter et Islandiam ob cædes et bonorum occupationes inimicitia obtinuit, haud ante triennium elapsum petere ausus est. Klangus obiit A. 1176; morte vero ejus apud Norvegos nondum cognita, Eysteinus inter alia per literas monuit, ne electionem Episcopi differrent, electumqve seqvente æstate ad se ablegarent (F. Johann. I. p. 239). Tandem A. 1177 q)

q) Secundum chronologiam F. Johann. I. p. 289; verum ex mente Schöningii (Forbedringer etc. p. 436, 478) 1178.

in Norvegiam veniens ab Archiepiscopo honorifice exceptus est, qvi tamen inaugurationem, absqve Regis consensu ei conferre abnuit. Ipsum Vitæ Thorlaci Auctorem loqventem audiamus (Cap. XII—XIII): "Þa red fyrir Noregi Magnus Konungr oc Erlingr Jarl. fadir hans, oc toku þeir tungliga hans máli; komu þar hot fyrir hægindi oc ad huorugu mundi ohætt se ne mönnum, enn Thorlakur let ser þat eigi nær falla .... Enn Erkibiskup þottist vera i vandamálum, þviat hann villdi til huertueggia vel gera ..... Bar þa Erkibiskup bod imillum þeirra, oc adrir godgiarnir menn, kom sva at þeir fedgar samþyktu þat at Þorlakur væri vigdr til Biskups, oc gerdiz þá vinátta þeirra imillum, oc gafuz giafir adr þeir skilduz, oc þat hafdi Sverrir Konungr uppi iafnan sidan, at þeim fedgum hefdi þa allir hlutir lettast gengit, er vingan þeirra Þorlaks var, bædi i soknum oc vm vel flest annat. Þorlakur var vigdr til Biskups af Eysteini Erkibiscupi ..... Vid þa vigslu var Eirikr Stafangurs Biskup, er sidan vard Erkibiskup eptir Eystein; þridie var vid vigslu Þorlaks Biskups, Páll Biörgvinar Biskup, skörungr mikill, oc var vinr Þorlaks alla æfi sidan. Þorlakr var skamma stund med Erkibiskupi, sidan hann var vigdr." o: "Tunc in Norvegia penes Regem Magnum patremqve ejus Comitem Erlingum summa rerum

"erat. Hi postulatum ejus ægre excipientes, multo "magis et bonis et hominibus mala qvævis minati "sunt. Id Thorlacum ipsum minus vexavit qvam "Archiepiscopum, utriusqve studium sibi conciliare "gestientem. Intercedentibus dein et Archiepiscopo "et aliis viris benevolis, inaugurationem Thorlaci "episcopalem suo assensu comprobarunt. Exinde "iidem amicitia juncti, discessu dona sibi dederunt. "Sæpe deinceps asseruit Rex Sverrerus, patri filio-"qve tum, cum eos inter et Thorlacum amicitia "floreret, omnia et gesta bellica et alia optime suc-"cessisse. Thorlacum Episcopum inauguravit Ar-"chiepiscopus Eysteinus, præsentibus Erico Episcopo "Stafangriensi Eysteini successore et Paulo Ep. Ber-"gensi, viro gravi, Thorlaci per omnem dein vitam "amico conjunctissimo. Thorlacus consecratus mox "Archiepiscopo valedixit." Probari neqvit, Thorlacum jus ecclesiasticum Eysteini G u l l f i ö d r dictum Islandis qvoqve obtrusisse (F. J o h a n n. H. E. J. I. p. 225). Verum jam primo post reditum anno (1179), perplura in statu Islandorum ecclesiastico, excommunicationem et cælibatum introducendo, mulctasqve ob varia delicta Episcopis addicendo, Eysteino instigante mutare cæpit, qvorum inprimis ecclesiarum patrocinium a laicis ad clerum translatum, graves excitavit controversias. Visitavit tum qvadrantem orientalem, in qva prædium Svinafell tenuit vir generosus

et opulentus Sigurdius Ormi fil. Episcopum perbene excipiens. (Cap. XVIII.) "Enn sakir þess at bondi "villdi láta kirkiu vigia, þa let Þorlakur Biskup "hann kalla til tals vid sik um morgninn eptir, "oc bar fram bodskap Herra Eysteins Erkibiskups, þann er hann baud honum vndir sitt "valld at heimta allar kirkiur oc kirkiufe i sinu "biskupsdæmi. Sigurdr tok þessu fiærri oc sagdist "eigi mundu jata undan ser þvi sem hann hafdi "halldit adr frialsliga. Biskup sagdi at skipan sialfra "Postulanna gefa honum valld yfir öllum Guds eig"num, fyrir utan alla greiu. Heilagir kennifedr "kirkiunar ok Pafanner, Postulanna eptirkomendur "hafa oc þetta sama bodit oc skipat i kirkiunar"logum vm alla kristnina. Sva hefur Pafen nu oc "bodit Eysteini Erkibiskupi at flytia þetta "sama eirindi fram i Noregi *r*), oc þat hefur þar "yfir gengit, oc þat er eigi rett edr þolanligt, at "þetta hit fatæka land standi eigi undir sæmilegum "logum med allri kristni. Sigurdr sagdi á moti at "Norrænir edr utlendir menn megu eigi játa undan "oss vorum rettindum. Þa sagdi Biskup at sá

r) Extant literæ P. Alexandri III. Stephano Archiep. Upsal. (+ 1185) et Episcopis suffraganeis Sveciæ datæ, qvibus laici de ecclesiis ecclesiasticis*ve* beneficiis ulla ratione disponere prohibentur. Örnhielm Hist. Sveon. eccl. p. 503.

"skildagi, er enn hafa ofrodir menn giörvenu, at "skilia ser valld yfir þeim hlutum, sem þeir hafa adr "Gudi gefit er af sialfum logunum omaltuligr, oc "á eigi at halldaz, oc þar sem þetta mál verdr log- "liga kært af Biskupinum, eru eigi i þeirra manna "tolu sem hialpar eigu von af Gudi, sidan þeir "halldaz i þeirri þriosku, oc hverier sem tiundir oc "heilagra manna eignir hallda med þrá eru bann- "setiandi eptir logligar áminningar, ef þeir vilia eigi "sættaz oc afláta sinum rangindum . . . . . Leid þa "á daginn sva at bondi sa at kirkian mundi eigi "vigiaz, utan hann leti af sinu máli . . . . . . oc "leggia allan máldaga kirkiunar oc sialfa hana í Bi- "skups valld. Vigdi þa Biskup kirkiu oc syngur "messu, oc eptir hana sungna, skipar hann Sigurdi "stadinn i len um stundar sakir oc hann játar hon- "um at hallda." ɔ: "Colono templi a se exstructi "conservationem petenti, Episcopus mane seqventi "mandatum Eysteini Archiepiscopi de templis et "rebus sacris per suam diocesin Ecclesiæ addicen- "dis, exposuit. His offensus Sigurdus juri legitime "comparato renunciare abnuit. Regessit Episcopus "bona ecclesiastica, nullis exceptis, juxta constitutio- "nes apostolicas, sibi et successoribus suis convenire; "id etiam a sanctis patribus Pontificibusqve roma- "nis Apostolorum successoribus, per universum chri- "stianum orbem in leges relatum esse. Cumqve

"nuper auctoritate Pontificis romani studioqve Ey-
"steini Archiepiscopi accedente, idem per totam Nor-
"vegiam receptum fuit, nec justum nec æqvum esse,
"regionem tam inopem leges, qvibus reliqvus orbis
"Christianus parebat, detrectare velle. Negavit
"Sigurdus vel Norvegos vel qvosvis extraneos pote-
"statem habere juri Islandorum deregandi. Objecit
"vero Episcopus, actum illum, qvo laici rerum Deo
"consecratarum dominium sibi arrogaverant, de jure
"irritum esse, eosdemqve, ab Episcopis super hæc
"in jus vocatos et contumaciter resistentes spe omni
"gratiæ divinæ excidere, et tanqvam cæteros, qvi
"decimas pendere recusarent, resve ecclesiasticorum
"invaderent, excommunicandos esse, si admonitione
"spreta, ab inceptis haud desisterent. Die vertente,
"Colonus intellexit templum haud consecratum iri,
"ni victas daret manus, ideoqve jus patronatus in
"templum prædiaqve eidem addicta, Episcopo tradi-
"dit . . . . Consecravit tum ædes Episcopus sacra-
"qve celebravit, qvo facto ecclesiam, feudi instar
"tenendam, Sigurdo commisit." Qvod exemplum
plures, in qvadrante orientali, templorum patroni
secuti sunt. Tunc temporis prædium Oddense tenuit
Jonas Lopti fil. Sæmundi multiscii nepos, illustri
genere ortus, opibus pollens, eruditione insignis
(hinn visasti á klerkligar listir), Diaconus et præ-
tor (godordsmadr) pluriumqve insuper ecclesiarum

patronus. Qvas inter templum Hofdabrekense tempestate dejectum et sumptuose dein refectum ab Episcopo initiari voluit, cujus igitur in adventum convivium splendidum paravit. (Cap. XIX.). "Um "morguninn bioz Biskup til kirkiuvigslu, enn Jon "oc þeir menn, sem i rádi varo med hanom, gengi "till hans oc var talat um eptir sidvana, huor kir- "kiu máldagi skylldi vera. Biskup spurdi sva sem "fylgiari rettinda, hvert Jon hefdi heyrt Erkibi- "scups bodskap um kirkiu eignir. Jon svarar, "heyra má ek Erkibiskups bodskap vera lesin, enn "radinn er ek at hafa hann at öngvo, oc eigi hygg "ek at hann viti betr ne vili betr enn minir for- "eldrar, Sæmundr hinn frodi oc synir hans; mun "ek oc eigi fyridæma framferd Biskupa vorra her i "landi er sæmdu þann laudsins sid, at leikmenn "redi þeim kirkium sem þeirra foreldrar gafu Gudi, "oc skilldu ser valld yfir oc sinum afkvæmi. Bi- "skúp svarar slikum skynsemdum sem fyrr varo les- "nar oc mörgum ödrum . . . . . . Jon svarar, þer "megit kalla þann bansettann sem þer vilit, enn "eigi mun ek játa i ydart valld minni kirkiu . . . . "Enn um hina fyrra grein hellt hverr á sinu máli, "oc leid miök á daginn. Enn þeir sem letust vera "beggia vinir badu Biskup láta af sinu máli . . . . ". . . . . Þorlakur Biskup fann at alþydan "fylgdi Joni um kirkiumálin, vægdi hann þvi at

"sinni, at hann sá öngvan ávöxt ávera, þott hann "helldi fram, enn mikinn skada á marga vega, oc "ætladi sidan med Erkibiskups fulltingi at kirkian "mundi fa sin rettindi. Enn þadan sem hann vonadi "huggun at. fá, komu hormungar tidindi, þviat litlu "sidar var Eystein Erkibiskup landflæmdr fyri "kirknamál; þottust allir her á landi mega þar eptir "gera sem menn gerdu fyrir i Noregi. Þennan dag "vigdi Biskup kirkiu oc söng messu, þótt þar yrdi "eigi hans vilia framgengr, undi hann litit vid "þessi mála lok, gerdu oc allir adrir at dæmum "Jons sidan, at öngvir villdu gefa kirkiur i valld "Þorlaks Biskups, oc þvi fell nidr su kæra um hans "daga." ɔ: "Mane Episcopum, templum consecrare "aggredientem Jonas et qvi ab ejus partibus stabant, "convenientes, de patrocinio ecclesiæ, cuinam com- "peteret, solitum sermonem instituebant. Episco- "pus justi reetiqve studiosus, Jonam qvæsivit utrum "de Archiepiscopali mandato ipsi constaret, nec ne. "Ille respondit: mandato Archiepiscopi lubenter qvi- "dem aures porrigam, licet persvasum habeam nec "ingenium ejus nec mentem præstare majorum "meorum Sæmundi dico multiscii ejusqve filiorum. "Nihilo magis consilium Episcoporum terræ nostræ "damnare audeo, jus patronatus, qvo ex more an- "tiqvo laici posteriqve eorum in templa a majori- "bus suis Deo consecrata, gaudent, suis suffragiis

"corroborantium. Qvæ omnia Episcopus exceptionibus jam allatis et longe pluribus refutare conatus "est . . . . . . Jonas vero: "licet vobis pro lubitu "anathema pronuntiare, mihi vero propositum est "ecclesiæ meæ patrocinium nunqvam abalienare." "Inter mutuas de hoc altercationes dies vergebat. "Thorlacus vero Episcopus populum a partibus Jonæ stare suaqve pertinacia nullum emolumentum, "multifariam vero jacturam emersuram intelligens, "pro tempore ab incepto desistere secum constituit, "spem tamen fovens, ope Archiepiscopi, Ecclesiæ "deinceps jus suum vindicatum fore. Verum ex "terra unde solamen exspectavit, fama tristis paulo "post nunciavit, Eysteinum Achiepiscopum ob controversias ecclesiasticas patria excessisse; exinde "omnes nostrates (Islandi) vestigia Norvegorum legere "haud dubitarunt. Eodem igitur die ecclesiam consecravit missamqve celebravit Episcopus, licet hic "eventus proposito ejus contrarius ipsi haud parum "displicuit. Cæteris deinceps, ad exemplum Jonæ "jus patronatns Thorlaco denegantibus, nulla hac "de re qvæstio, ipso superstite, amplius mota est." Decessit Thorlacus A. 1193, ejusqve veneratio late se diffudit, licet ab ipso Pontifice romano nunqvam in numerum sanctorum receptus sit (F. Johann. H. E. Isl. Tom. I. p. 298) Qvi eum in sede Scalholtensi excepit, Paulus Jonæ f., vestigia

Thorlaci premens nil tamen contra laicorum jus patronatus tentare ausus est (ibid. p. 303).

Qvemadmodum contra R. Sverrerum post Magni Erlingidæ obitum universæ Norvegiæ imperio potitum, complures æmuli surrexerunt, qvibuscum, dum vixit, ipsi continuum certamen fuit, sic etiam ejus cum Clero controversiæ, demum sub Eysteini successore flagrare cœperunt. Ericum jam 1178 Episcopum Stafangriensem *s*), cujus dotes insignes animumqve cedere nescium Eysteinus sine dubio perspectum habuerat, successorem hic, a se haud degeneraturum, nominatim designaverat (Hmskr. IV. p. 189). Ille, jam A. 1184 forsan electus (Suhmii H. D. VIII. p. 98.), in comitiis Bergensibus anno Eysteino emortuali 1188 habitis, omnium suffragia reportavit. Sverrerus vero, studii qvo ille Magnum A. 1181 prosecutus fuerat (Hmskr. IV. p. 102), haud immemor, qvodammodo refragabatur, Ericumqve, utpote indolis hominum profusioris, qvi opibus administrandis præficeretur, minus idoneum asserebat (ibid. p. 189—90). Nihilominus decretum fuit, ut Archiepiscopus eligeretur Ericus, qvi eadem æstate Romam petens, Anno seqventi 1180 pallio accepto

s) Eo forsan svasore civitatem Stafangriensem S. Svithuno obtulit R. Magnus Erl. f. vid. Confirm. Privileg. Haqv. Haqvin. f. Thorkel. Dipl. II. p. 24.

redux sedem adiit (ib. p. 196). Ad sedem Stafangriensem omnium suffragia poscebant Nicolaum fil. Reginæ Ingeridæ ex Arnio Stodreimensi, qvi R. Magno 1180 Nidrosiam petenti, inter alios comes fuerat (p. 77) et in colloqvio Reges inter A. 1181 habito ejusdem nomine verba, prolixe æqve ac diserte, fecerat (pag. 109). Ideo Sverrerus, neminem R. Magni asseclarum sibi unqvam addictum iri persvasus, ejus qvoqve electioni se opposuit (p. 195). Tunc vero Nicolaus, literas ad Reginam Margaretam, qvadam cognatione sibi junctam, et in his multa et ad eam et ad Regem blande et speciose perscripsit, qvæ tum maritum sollicitans, damnaqve bello civili cæde propinqvorum accepta, Nicolao dignitatem episcopalem optime compensaturam, nec perfidiam aliqvam ab eo, post arma deposita, sacris initiato, metuendam esse ostendens *t*), demum effecit, ut Sverrerus ejus precibus, reluctanter licet, morem gereret. Impetratis dein regiis literis Nicolaus Episcopus con-

t) Cogitavit forsan bullam Clementis III. ad Clerum Norv. dat. 27 Jan. 1189 (Thorkelini Dipl. II. p. [illegible]) in qva prohibet, "ne quis, nisi forte ut tribuat penitentiam et sacramenta ecclesiastica morientibus et prava opera dissvadeat, in expeditionem ire aliqua temeritate presumat, alioqvin sententiam qvam propter hoc Vener. frater noster Nidros. Archiepisc. in vos tulerit nos . . . ratam habebimus."

secratus est. Id vero circa tempus, Helgio Episcopo Osloensi defuncto, Nicolaus, qvi verisimiliter in vicinia Vikiæ, cujus incolæ inimicis Sverreri addictos se dederant, itidemqve Daniæ, ubi et auxilium et refugium ipsis patuit, degere præoptavit, veniam in sede Osloensi succedendi ab Archiepiscopo facile obtinuit, Stafangriensem Nialo cuidam cedens (p. 196—97) z).

Verum de simultatibus Regem inter et Archiepiscopum, statim post hujus ad cathedram Nidrosiensem adventum, exortis seqventia refert historia (Hms. IV. p. 197 fq.): "Palam in choro concionans "Archiepiscopus multa in Birkibeinos durius est locu-"tus, adeo ut militum haud paucorum, istiusmodi "indigne ferentium, animos confestim exasperaret, "qvibus brevi etiam accesserunt alia controversiarum "semina, qvæ R. Sverrerum et Archiepiscopum in "diversa traxere. Nimirum R. Magnus et Comes "Erlingus, dum rerum potirentur, non antiqvave-"rant legem ab Archiep. Eysteino rogatam et a co-"lonis receptam, qvæ mulctarum pensiones Archiepi-"scopo solvendas ora argenti signati æstimari præ-

z) Diversam de Nicolai electione narrationem referre videtur Epistola nomine Archiepisc. Erici sub hujus exilio ad Papam Cælestinum scripta. vid. Wilhelmi Abbatis Epistolæ in Scr. Rer. Dan. VI. p. 20.

3*

"cipit, cum prius ora mulctarum vulgari, qvales "fisco regio pendi moris erat, taxatæ fuissent .... "Igitur ab Archiepiscopo, ut circa debitas tam Ar- "chiepisc. qvam Regi pensiones ratam haberet juris "antiqvi regulam, R. Sverrerus postulabat; fatusqve "porro est: "Erlingo Skakkio haudqvaqvam inte- "grum, imo nefas fuisse, S. Olavi leges eo consilio "violare, qvo regium filio citra jus natalium conse- "crationem conciliaret.", ... "Illud omne, in- "qviebat R. Sverrerus, ex compacto utrinqve utili "inter Archiep. Eysteinum et Com, Erlingum con- "venit, ut hujus ille filium Regem inauguraret, illi "vicissim Comes, ut colonos, qvibuscunqve per po- "tentiam et auctoritatem, vel invitis patriæ legibus, "posset modis, vexandi atqve opprimendi licentiam "concederet; id qvod divini pariter atqve humani, "qvod hoc in regno valet, juris injussu factum esse "præsumo. Alioqvin, qvando tua jura tantopere "adaucta cupis, ipse vicissim expeto ut jura Regis "per me pariter extendi permittas, hoc facto rec- "tene an secus publica civium res administretur, "rationem Deo populoqve tutemet redditurus. Ab- "nuit conditionem Archiepiscopus, et nihilo tamen "minus suum sibi jus sartum tectum habere con- "tendit, divina qvidem jura semper amplificanda, "nusqvam minuenda dictitans; atqve porro: 'tuum "esto Domine, eo jure, iis uti legibus, qvibus ob-

"aeqvium juratus promisisti; hujus qvidem jurisjurandi religio tibi incumbit servanda, utpote cujus "rationem Deo et civibus reddere teneris: etenim "debitæ fisco regio pensiones auctiori ornrum pretio "nunqvam sunt solutæ." Biennio post (1191) Regem inter et Archiepiscopum litigia magis magisqve gliscere cæperunt (ibid. p. 203—6): "Suæ Rex "causæ in legibus patriæ, a divo R. Olavo latis, "patrocinium semper qværens, ad legum Codicem "Thrandiæ, qvi Gragasa vocatur . . . . provo-"cavit v). Archiepiscopus contra ad codicem Gullfiödur dictum, qvem Eysteinus Archiep. literis "mandari curaverat, appellans, jus ecclesiasticum "Romanum, nec non diplomata qvædam a Papa data, "ejusqve munita sigillo, allegavit x). Erat et inter "reliqvas hæc illis invicem diseptandi materies: "nimirum et legibus antiqvis, et longo temporum "usu fas erat Regi et colonis, templa, modo vel-"lent, suis in prædiis fundare et propriis sumtibus "ædificare, in qvæ et patronatus et investituræ jure "deinceps gaudebant. Verum Archiepiscopus in "ædes qvascunqve consecratas, et in qvibus sacra

v) cf. Heimskr. III, p. 23. Torfæi H. N. III, p. 239.

x) cf. Literæ Erici in F. Johann. H. E. Isl. I, p. 253.

"cani ipse permisisset, sibi jus et dominium arroga-"bat. Hac de re judicum Rex sententiam postulavit, "secundum leges ferendam, ferri autem intercedendo "vetuit Archiepiscopus. Tum Rex in foro publico "ex legum Codice palam recitari fecit verba, qvæ "Archiep. provinciam obeunti, comites XXX viros, "clypeosqve XII et eos omnes albos, adesse præci-"piebant. Ex legum igitur præscripto judices hac "de re pronuntiare Rex jubebat, hæc subjiciens: "Nullis vel corporis stipatoribus nec militibus, vel "navi clypeis per totum exornata indiget Archiepi-"scopus *y*) . . . . . Ad hæc ita respondit Archiepi-"scopus: "Huic me cathedræ antistitem, ejusqve "opibus moderatorem Pontifex romanus constituit; "meum igitur est et erit horum reditus pro arbitrio "dispensare, et qvidem ex majori jure, qvod Dei "ejusqve indigetum hæc sunt bona. Illud vero, "Domine, non inficiabor, plerisqve qvi frugi fue-"rint, pacatum meum contubernium injurioso tuo, "qvod paucis jam qviescendi facit copiam, commi-"litio anteferendum videri. Siqva autem meis sunt "arma vestesqve meliores, sua ipsorum hæc sunt, "justeqve vel pretio parata, cujus ne obolus qvidem a "nullibi non pacificis rapto qvæsitus. Rem relatu

y) cf. Capit. Magni Erling. Thorkelini Dipl. II, p. 10.

"parum decoram judicabunt exteri, Archiepiscopo "de suo, qvos velit, cibandi aut vestiendi arbitrium "non permitti, cum pagis a te procurandis præfecti, "qvæ tu corpora ab imo mendicitatis erratitæ gradu "extulisti, qvanta ipsis libuerit comitum caterva sti- "pati colonos adoriantur, eosqve cibis et cerevisia "impune spolient, rerum qvin etiam possessoribus, "qvod graviorum illorum rapinis non fecerint jac- "turam, lætari coactis." Rem deinde jure decerni "postulabat Sverrerus, colonosqve, qvot stipatoribus "uti Archiep. fas esset, secundum leges patrias pro- "nuntiare jubebat. Mox etiam Rex (Archiepiscopi "comitibus) diem dixit qvinarium, denuntiavitqve, "exacto V. diarum spatio futuros bonorum et salu- "tis jacturæ obnoxios, extorres, ac qvocumqve de- "prehensi loco fuerint, impune occidendos, qvot- "qvot ultra numerum in Codice præfinitum Archiep. "apparuerint. Hoc ubi rescivit Archiep. abitum ili- "cet maturans . . . . austrum versus in Daniam ad "Archiep. Absalonem contendit." Tali modo ortum et progressum hujus controversiæ exponit Auctor Historiæ Sverreri. Tametsi vero utriusqve partis exceptiones candide satis nobis impertivit, plurima tamen, qvæ Archiepiscopus litem a primordio compositurus tentaverat, reticuisse videtur, qvocirca et alteram partem audiri necesse ducimus, dum ipsum Archiepiscopum de his loqventem faciamus.

Exstat nimirum inter Wilhelmi Abb. Epistolas, Epistola in persona Erici Archiep. Nidrosiensis Papæ Cælestino III. certe A. 1192 (cf. Suhmii H. D. VIII. p. 274) scripta (Scr. Rer. Dan. VI. p. 20—21) in qvā ille dissidii primam originem hunc in modum refert: "Anno præterito, pallio a vestra "Sanctitate suscepto, cum fuissemus in terram no"stram regressi, ille (Sverrerus) qvi de regio nomine "et usurpata regni plenitudine gloriatur, ad suam "nos fecit præsentiam evocari, et coronam capiti suo "petivit a nobis imponi regalem. Cujus petitionem, "qvia reverentiæ vestræ et animæ nostræ saluti vi"dimus obviare, eam minime duximus admittendam, "donec, emissis nunciis a nobis, et ab apostolica "sede revertentibus, plene cognosceremus, qvid inde "tenendum nobis diffiniret vestræ Sanctitatis examen. "Igitur contra nos turbatus est Princeps, et omnis "exercitus ejus cum illo: asserens favorem apostoli"cum in tali negotio non esse consulendum, cum "habeant cæteri Reges libertatem, ubi et qvando, "et a qvo voluerint, inunctionis accipere sacramen"tum: Iterum cum per Ecclesiam (Stafangriensem), "cui præfuimus die denominata, haberemus acces"sum, in unam personam et vita et scientia ido"neam, qvi eis præesset in episcopali officio, pari "voto unoqve consensu et clerus convenit et popu"lus. Huic autem electioni qvia prædictus Princeps

"non interfuerat et primam in electione vocem non "emiserat, eam cassandam duxit: cum hanc consve-"tudinem a prædecessoribus suis Norvegiensium Re-"gibus præstitis sacramentis abrenunciatam: et Ec-"clesiæ nostræ instrumentis, nominum suorum cha-"racteribus consignatis, indultam noverimus, fel. "mem. Adriani P. et vestræ Sanct. privilegiis robo-"ratis. Qvia vero clamabat Regiæ Majestati nos "super hoc intulisse læsionem, nobis inconsultis, "nobis reclamantibus, in personam aliam, qvæ bi-"gamam in ipsa, si dici debeat, electione ducebat "uxorem, clerum et populum coegit consentire, et "nobis obtulit consecrandum. Qvia vero prædic-"tus . . . Adrianus P. bigamam in clero in nostra "regione apostolica auctoritate damnaverat, non præ-"sumpsimus in factum procedere, ne videremur in "irritum ducere, qvod Sanctus prædictus observan-"dum in Clero præceperat. Lege fori modo com-"muni clerum vult in causis agendis contra sanc-"torum patrum decreta et omnem consuetudinem "Ecclesiæ Dei in suam curiam trahi et a suis satel-"litibus judicari. Ecclesias baptismales sive parochia-"les suis villulis adjacentes, capellas vocat regales, "et cui et qvando voluerit dare sine nostra licentia "in sua vult obtinere potestate. Qvod qvantum sit "ab ecclesiastica consuetudine dissonum S. V. relin-"qvimus providendum. Super his omnibus, qvid

"nobis sit agendum, rogamus humiliter S. V. literis "proseqvendum. Nec nobis est — silentio conte-"gendum, qvod in his omnibus, qvia ejus non obe-"dimus mandatis, ira et indignatione succensus bona "nostra et omnes reditus nostros usqve ad qvadran-"tem novissimum confiscari præcepit, et omnibus "nobis sublatis ad vestram nos præsentiam evocavit, "videns et recogitans, qvia deficientibus expensis, "deficeremus et nos iter aggressi, et sic videremur "incurrere contemptum Apostolicæ sedis. Verum "nesciebat, qvod in astutia sua malitiam prudentia "vestra comprehendere novit, et defectibus oppres-"sorum paterna clementia exhibere compassionis af-"fectum. Nos vero ne impossibilitas forte videretur "occasionem ministrare contemptus, si appellationis "termino ad vos minime venires, a latere nostro "responsales emisimus viros boni testimonis, qvos a "sanctitate vestra benigne suscipi supplicamus et "veritati testimonium perhibentes paternitatis vestræ "gremio confoveri: ut et concepta malitia a nostris "finibus exstirpetur, et Ecclesiæ nostræ libertas Apo-"stolicæ sedis privilegiis firmata illæsa servetur." Tota hæc narratio qvoad summam rei cum Vita Sverreri probe conspirat. Qvæ Archiepiscopus de coronatione Sverrero denegata, tanqvam litis causa primaria affert, confirmant testimonia Gvil. Neubrigensis et Rog. de Hoveden (Hmskr. IV,

p. 431—32) insuperqve per se admodum credibile est, Sverrerum, licet silentio id prætereat Vita ejus, integro qvinqvennio a morte Magni Erling. jam elapso, inaugurationem expetiisse. Reticet itidem Vita Sverreri legem ecclesiasticam a R. Sverrero, Archiepiscopo Erico et Episcopis ante Archiep. exilium latam, primamqve ex norvegicis, de cujus ætate nulla justa habetur dubitandi ratio. Exstat eadem in unico Codice membranaceo inter Mspta Arna-Magnæana No. 78. 4to, hanc rubricam præferens: "Her "hæfir vpp Cristinsdomsbolk þæn sem skipade Sver"rir Konongr oc allir Biskupar." ɔ: "Incipit jus ecclesiasticum a Rege Sverrero et Episcopis sancitum." Inscriptionem excipiunt seqventia: "Suerrir "Magnus Konongr, sun Sigurþar Konongar. Eirikr "Ærchibiskup oc Poll biskup. Hælgi biskup oc "Niall biskup oc þorer biskup, oc aller bodorda"men i Noreghe, senda quædiu allum Guds uinum "oc sinum er þetta bref höyra, Guds oc sina. Ver"uilium at men uiti uarnad þæn oc þyrmslir þær "er men æigu Gudi at væita oc os, oc at varaz "vid þau stórmæle er bann fylgir. Nu ero þæir men "banzætir er raska hælgum kirkium oc kenne"monnom, oc renna á hendr konom oc brióta þær "till svæfnis. þeir ero oc i banne er vopn bera i "vlydni til kirkiu eda i frá oc til þinga. etc." ɔ: "Sverrerus Magnus Rex, filius R. Sigurdi, Ericus

Archiepiscopus, Paulus, Helgius, Nialus et Thorerus Episcopi et universæ Norvegiæ Clerus omnibus Dei suisqve amicis, hanc epistolam audituris, salutem Dei et suam mittunt. Volumus ut omnes cognoscant observantiam et abstinentiam qvam Deo debent et nobis, caveantqve a delictis qvæ seqvitur anathema. Anathemati vero obnoxii sunt qvi templa vel sacerdotes violant, fœminas rapiunt stuprantve, itemqve qvi armati ædem sacram vel forum adeunt." Proemium seqvitur Elenchus Capitum CI, qvorum primi idem est exordium ac Tituli de Christianismo Legis Gulensis antiqvioris (Coll. Pausii I. pag. 4): "þat er nu þvi næst at ver hafum fund "varn mæltan á Gulá huert ár, sua mergir þing- "menn sem nu ero ver ásattir etc." Constitutiones speciales laudantur: R. Olavi sancti et Ep. Grimkelli in foro Mostrensi latæ Cap. X. XVIII. XLIV. LVIII. Archiep. Jonæ Cap. XXIX. LXXIII. Cardin. Nicolai Cap. LXXIII, itemqve Indulgentiæ a Papa Alexandro Archiep. Eysteino datæ Cap. LIII. Cæteroqvin diffiteri haud licet, commemorationem Ep. Helgii et Nialis simultaneam anachronismum qvendam involvere, Helgio qvippe Ep. Osloensi, statim post Erici a Roma reditum, decedente, cui Nicolaus Ep. Stafangriensis electus successit, hanc cathedram Nialo relinqvens (Hmskr. IV. p. 197. Torfæi H. N. IV. p. 12). Si igitur oscitantia scriptoris Helgii

nomen non positum sit pro Nicolai, statuere licet breve temporis spatium, qvo hæc lex rogata fuit, obitum Helgii et electionem Nicolai intercessisse, et pro Niale hic legendum Nicolaum; historicos certe islandicos in chronologicis titubantes haud semel deprehendimus. Hoc qvoqve respexisse videtur Arnas Magnæus, dicto Codici adscribens: "A. 1190 "editum esse, hoc jus ecclesiasticum, ex Episcopo-"rum Synchronismo liqvet." Et qvoad numerum Episcoporum et qvoad negotia tractata, hic conventus eum refert qvem Archiepiscopus in literis Thorlaco Brandoqve Epp. Islandiæ ejusdemqve magnatibus inscriptis, ita commemorat: "Terra nostra aliqvan-"tisper admodum afflicta fuit, cujus rei nos maxime "in causa esse novimus, non autem Dei volunta-"tem, cum absqve necessitate et reatu nos minime "afflixerit. Cum autem nos Episcopi synodum (fund) "habebamus, et causam sciscitabamur, neutros, nec "clericos nec laicos penitus insontes reperimus, alios "qvidem temeraria in Deum audacia, alios vero si-"lentio et negligentia curæ, qvæ clericis cæterorum "est gerenda. Cum autem laicorum permulti magis "ignorantia causarum excommunicationis in gravia "prolapsi sint delicta, qvam malo, si periculum "præscivissent, peccandi proposito, tum qvinqve "simul Episcopi et Abbates et permulti sacerdotes, "ea in qvibus maximos defectus, et in Deum mini-

"me decentia, deprehendimus, promulgabamus, et "excommunicationem infligebamus, qvæ excommuni"catio, tam late ac nostrum patet imperium, omnes "premit adversus facientes. Harum causarum una est "violatio asyli templorum sive inde res sacræ, sive "profanæ auferantur, sive qvis in templo vel intra "cæmeterium animo nocendi lædatur, aut etiam rap"tus fæminarum, aut læsio corporis clerici vel mo"nachi, ita ut scriptum (skráin) habet, qvod pere"gre istorsum, et per totam nostram provinciam mi"simus." (F. Johann. H. E. Isl. I. p. 253—54.) Certe Archiepiscopus suàm cum Rege controversiam subobscure hic indigitare videtur, nisi qvis dictas literas ad tempora post ejus de exilio reditum ejusqve cum Haqvino Sverreri f. reconciliationem, æqvo jure referri posse credát. Tres insuper exstant Epistolæ ab Archiepisc. Erico A. 1189—91 ad Islandos scriptæ, (F. Johann. l. c. p. 244—53), qvibus inter alia modum procedendi in causis connubialibus præscribit, clericis armorum gestationem interdicit, eosdem ne laicos injuriis afficiant, commonet, "laici enim si sacèrdotes lædant, graviorum delic"torum reatum sibi contrahunt," mores Magnatum islandicorum dissolutos, libidinem inprimis, reprehendit, et sacerdotibus deniqve injungit abstinentiam a causis forensibus: "Si autem actio fuerit "necessarii cujusdam istius clerici, vel hominis ino-

"pis, auxilium ad justum, nec amplius (clericus) "ferat, et a Deo retributionem exspectet."

Archiepiscopi vero fata perseqvamur. Daniam ille petens ab Absalone, Hierarchiæ strenuo itidem propugnatore, tanqvam vir "propter iustitiam exulans" bene exceptus et liberaliter habitus diu ibi degit (Hmskr. IV. p. 206. Scr. Rer. Dan. VI. p. 21). Eodem Anno 1191, XXVI. Oct. consecrationi templi Gumlosani in Scania præsens adfuit (S. R. D. V. p. 377). Mox oculorum morbo correptus visu deinceps caruit (Hmskr. IV. p. 206). Anno seqvente Wilhelmus Abbas, nomine Archiepiscopi literas Papæ Cælestino III. misit, supra allegatas. Dubites hanccine an diversam et uberiorem forte relationem intellexerit Auctor Vitæ Sverreri, dum tradat "per nuntios Romam Ericum et Absa-"lonem literas ad Pontificem dedisse, in qvibus de "R. Sverrero, prouti ea Archiep. Ericus et comites "tradiderant, nec non universæ mutuæ, qvæ prius-"qvam cathedram Archiep. reliqvisset, ipsum inter "et Regem agitata fuerat, controversiæ series, ordine "perscripta fuerunt." (p. 215.) Verisimilius vero hæ literæ Anno demum 1193 vel 1194 datæ sunt z), utpote qvæ ultimo anno duplicem habuere effectum. Cælestinus III. enim Bulla, Romæ d. XV. Jun.

z) cf. Suhmii H. D. VIII. p. 338.

Heirico Nidr. Archiep. et ejus successoribus data, personam ejus et Nidrosiensem Ecclesiam sub B. Petri et sua protectione suscepit (Thorkelini Dipl. II. pag. 13—17). Ex ipsa bulla seqventia digna sunt, qvæ hic inserantur: "Libertates et im-"munitates, qvas de concessionibus Regum, præ-"cipue R. Magni Norvegiensis, Ecclesia — hactenus "obtinuisse dinoscitur, tibi et Ecclesiæ ipsi auctori-"tate apostolica confirmamus, et perpetuam habere "decernimus firmitatem. Licitum qvoqve sit tibi et "successoribus tuis in Capellis, a regia libertate fun-"datis vel dotatis, sicut in aliis Ecclesiis vel Capellis "provinciæ tuæ, idoneus instituere sine ipsorum "assensu vel præsentatione personas, secundum re-"nunciationem, qvam de jure patronatus per pu-"blica instrumenta et per privilegia sua constat eos-"dem Reges fecisse. Statuimus insuper ut in elec-"tionibus Episcoporum et Abbatum provinciæ tuæ "nulla vis, nulla potentia, nulla auctoritas vel con-"sensus Regis seu principis interveniat, nec favore "ipsorum qvisqvam officium ecclesiasticæ prælationis "obtineat, nisi qvem concordi electione illi ad qvos "electio pertinet, vacanti Ecclesiæ scientia et mori-"bus judicaverint aptiorem." . . . . . ; "Nulli etiam "Regi vel Principi licet aprobatas patriæ leges et "scriptas, absqve consensu Episcoporum et sapien-"tum consilio, et pecuniarias pænas, tam in clericis,

"qvam in laicis, contra antiqvam consvetudinem et "ecclesiarum seu clericorum dispendium immutare, "vel ab aliquo Episcopo seu Abbate, regalia non "habente, ante consecrationem seu benedictionem, "aut post, fidelitatis eligere sacramentum . . . . . "Si qva igitur in futurum Ecclesiastica secularisve "persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, "contra eam temere venire tentaverit, secundo ter- "tiove commonita, nisi reatum suum congrua satis- "factione correxerit, potestatis honorisqve sui digni- "tate careat, reamqve se divino judicio existere de "perpetrata iniqvitate cognoscat, et a sacratissimo "corpore ac sangvine Dei et Domini redemtoris no- "stri J. C. aliena fiat, atqve in extremo examine "divinæ ultioni subjaceat." Hæc certe bulla intelligitur per responsum illud Papæ, qvo Sverrerus, ni Archiep. in integrum restitueret, graviori Ecclesiæ censura publice obnoxius damnabatur, qvoqve palam in Dania recitato, Archiep. die qvavis dominica in templorum choris anathema in ipsum vibrabat (Hms. IV. p 216). Qvæ ubi rescivit Sverrerus, in publicis sæpe comitiis, hoc super negotio, verba faciens, Danorum se hic commenta, non Pontificis interdicta agnoscere, sed nec Erici Cæci mendacia dignitatem sibi regiam ademtura se vereri, asseruit *æ*);

æ) Ad A. 1194 Suhmius H. D. VIII. p. 343. ex conjectura refert R. Cælestini Rescr. ad Episc.

"Me vero," addidit, "leges a divo R. Olafo latas "in sui gratiam transgressurum frustra sperabit, qvan-"tascumqve anathematum diras intentaverit." (ibid.) Eodem A. 1194, legatus a Papa missus (Cynthius forte?) Norvegiam advenit, a qvo Sverrerus, ut Regem se coronaret, petiit. Ille primum petenti facile annuit, mox vero de Regis cum Archiepiscopo inimicitiis hujusqve exilio, a clericis, plures insuper in Regem culpas impingentibus, edoctus, consecrationem denegavit, Regem commonens, ut cum Archiepiscopo, cujus esset eum inaugurare, prius in gratiam rediret; qvo natus ille legatum regno confestim excedere jussit (ibid. p. 217. Suhm. VIII. p. 339—40). Mox Sverrerus Nicolaum Ep. Osloensem ad se deductum, tanqvam factionis Eyskeggorum nuper exortæ auctorem, perduellionis postulavit et gravissima qvævis comminatus ita terrefecit, ut ille officiis et obseqviis qvibusvis Regi gratis, qvicqvid ante deliqvisset, in posterum se emendaturum sponderet. Regem deinde Bergas versus comitabatur. Convenerunt ibi a Rege vocati Thorerus Ep. Hamarensis et Nialus Ep. Stafangrensis, de Episcopo in locum Pauli Bergensis defuncti constituendo, deliberaturi. Designatus fuit Marti-

qvendam Norvegiæ, qvi de qvodam consangvinitatis casu ad Papam literas scripserat, Ant. Augustini Ant. Coll. Decret. p. 207.

nus, aulicus Sverreri sacerdos, qvem proinde Episcopi tres prædicti, ex auctoritate Regis, officio episcopali inaugurarunt. Præcipuum jam in gratia Regis locum obtinuerat Ep. Nicolaus. Decretum deinceps fuit ab his Episcopis Regem consecratum et coronatum iri; qvæ qvoqve solennitas rite fuit peracta, Ep. Nicolao primariis consecratoris partibus fungente. His gestis Episcopi, eximiis a Rege donis ornati, haud sine luculenta mutuæ amicitiæ significatione, discesserunt (ibid. p. 218—19). ö)

Simulatqve inauguratio Sverreri Romæ innotuit, Papa Alexander III. d. 18. Novemb. 1794 vel 1795 prædictos Episcopos in Ecclesia S. Petri, excommunicavit (Wilh. Abb. Epp. S. R. D VI. pag. 34). "Hi autem viri mendaces et iniqvi," "addit Epistolographus ad Papam literas mittens, "ad fraudem toti conversi, cavillationes et iniqva consilia contra justum prædictum, videlicet "Archiepiscopum, fabricaverunt in incude men-"dacii, ut vos capiant in sermone, qvod longe sit "a vobis. A seculo autem non est auditum, qvod "in christiana religione sacerdos excommunicatus "fuerit in Regem inunctus." Dum hæc gereban-

ö) Relationes Gvil. Neubrigensis et Rög de Hoveden de inauguratione Sverreri, licet qvoad summam cum Vita Sverreri conspirantes, in qvibusdam tamen discrepant. H m s. IV. p 431-32.

tur, Paulus Jonæ f. in locum Thorlaci 1194 Ep. Scalholtensis electus, Norvegiam, consecrationem adepturus, petebat. Is Archiep. Ericum in Dania exulare comperiens, R. Sverrerum tertio consangvinitatis grudu sibi junctum, Uplandis tum commorantem, convenit. Rex eum benigne excipiens, a Thorere Ep. Hamarensi sacerdotem inauguratum, literisqve commendatitiis omnium, qvi tum in regno adfuere, Episcoporum instructum, in Daniam 1195 ablegavit. Ibi inaugurationem, qvam Archiepiscopi, Norvagus et Dånus, versimiliter ob Regis excommunicati necessitudinem, primum distulere, intercedente R. Canuto VI. per Absalonem, consensu ut et nomine Archiepisc. Erici Cæci, demum obtinuit; dein per Norvegiam reversus, iterum Regem adiit, comitiisqve, eadem æstate Bergis celebratis, interfuit (Páls biskups S. post Hungrv. p. 156 sq. Hmskr. IV. p. 219. F. Johann. H. E. Isl. I. p. 301—2). Hisce comitiis, qvibus omnes regni Episcopi interesse jussi fuerunt, occasionem dederant literæ Archiep. Erici, qvibus eosdem omnes ad se in Daniam exciverat. Episcopi et optimates in commune consultarunt, placuitqve demum legatos ad Papam amandare, literas Sverreri omniumqve Episcoporum sigillis munitas, qvibus, ut mox apparet, de absolutione Regis supplicarunt, secum ferentes. Legatorum partes susceperunt Thorerus

Ep. Hamarensis et Richardus Nigræ scholæ magister (Svartameistari) (Hmsk. IV. p. 219—20. Suhm, VIII p. 363). Sverrerus vero Episcopos, priusqvam discederent, admonuit, ut ditionem qvisqve sibi a Deo concreditam sapienter administraret, nec cogitarent eam, relicti instar a parentibus patrimonii, hæreditariam esse, simulqve caverent, ne auctoritas Erici cæci eos ad munera sua linqvenda seduceret; cæteroqvin se causæ communis patronum et tutorem futurum spospondit. Illi se Regis negotia et societatem minime deserturos polliciti sunt (Hmsk. IV. p 222). Hæc vero promissa non obstiterunt qvo minus Episc. Nicolaus eodem autumno, ut scilicet anathemate solvetur, in Daniam ad Archiepiscopos profectus eos sibi amicos reconciliaret (ibid. p. 223. Suhm. VIII. p. 366). Æstate seqvente 1196, nundinas Haloranas adiit Nicolaus magna Norvegorum, inprimis Vikensium, multitudine stipatus. Adduxerunt hi secum puerum Ingium a se nominatum, qvem R. Magni Erlingidæ filium salutarunt. Horum adeo auspiciis surrexit famosa Baglorum factio, a bagall ɔ: lituo episcopali ita dicta, qvod Episcopi ejus antesignani fuere. Huic factioni se addixit Arch. Ericus, qvo comite hæc rebellium turba in Norvegiam tendens, Ingium Regem renunciavit (ibid. pag. 224, 229). Archiepiscopus bellum differri intelligens, mox in Daniam se recepit, Ni-

colaus vero in Norvegia remanens et interdum Daniam visitans (p. 229), consilia et incepta Baglorum moderatus est. Belli hujus intestini Baglos inter et Betulopedos summa cum atrocitate gesti, Auctor noster p. 12. mentionem facere videtur. Odium internecinum qvo se invicem prosecuti sunt utriusqve factionis antesignani Sverrerus et Nicolaus, testantur asperrima convicia, qvibus se invicem lacessiverunt (ibid. p. 227, 231, 237, 265, 275), et indignatio qva Sverrerus, vel moribundus, Nicolaum commemoravit (p. 330). Post pugnam vero Strindsæensem 1199, ex qva victor decessit Sverrerus (p. 287) Nicolaum haud amplius, hoste superstite, Norvegiam repetisse, ex silentio Auctoris Vitæ Sverr. colligere licet.

Ad Sverrerum ut redeamus, ille, jam ante reditum legatorum, Pontificem romanum, per Archiepiscopum Danicum et Norvegicum de statu rerum edoctum (S. R. D. VI. p. 34), voto suo, anathema tollendo, haud morem gesturum prævidens *aa*), in-

aa) Pontificem romanum in Norvegia, cujus Rex et Episcopi tum excommunicati erant, Archiepiscopusqve exul absens, nihilominus solitam in rebus ecclesiasticis auctoritatem sibi arrogasse testatur Bulla Cælestini III. Nidros. Capitulo XVI Kal. Apr. 1196 data, in qva, iis conqverentibus, "per laicos jurisdictiones ecclesiasticas exerceri et eis in spiritualibus indebitam potestatem concedi,"

sidias struxisse videtur. Ineunte A. 1197. *bb*) legati prædicti Thorerus et Richardus Roma reduces comite Cardinali romano (Fidentio?) in Daniam pervenerunt, ibiqve morbo subito simul correpti perierunt. "Post aliqvantum inde temporis Danorum "qvidam venientes, literas, appenso Pontificis si-"gillo munitas, R. Sverrero tradiderunt, has se ab "Ep. Thorero et Mag. Richardo in pignus pecuniæ, "ipsis mutuo datæ, accepisse perhibentes. Rex ar-"gento, qvantum ipse volebat, latoribus numerato, "literas receptas in choro templi, sigillo Pontificis "palam monstrato, publice recitari fecit. Literis "hisce rescriptum erat, qvod Pontifex, ubi de causa, "Regis qvam Archiepiscopi, justiore, vera comper-

inhibet "ne aliquis laicus ecclesiasticam iurisdictionem exerceat, vel causas audiat aut definiat, qvæ judicio exigunt ecclesiastico terminari." Innocentius III. qvoqve VIII. Cal. Jun. 1198. Ep. Bergensi permisit, ut mercatores in Islandiam transfretantes decimas persolvere cogerentur. Epp. Innocent. III. ed. Baluz. T. I. p. 117. Archiep. Ericum qvoqve in exilio negotia ecclesiastica curasse evincit Ep. Innocentii III. 10. Oct. eod. An Archiepisc. data, in qva consultationi ejusdem de qvibusdam excommunicatos tangentibus et de Presbyteris qvi naves ad pugnam gubernabant, respondetur.

bb) Vita Sverreri p. 223 hæc ad A. 1196 refert. Fidentius Lundæ obiit d. 19 Febr. ibiqve sepultus est. cf. Suhmii H. D. VIII. p. 385. 396.

"tus esset, Regem cum universo regno anathemate "prorsus liberum et absolutum esse juberet. Re- "tulitqve porro Rex, nuntio se accepisse, Cardi- "nalem et Ep. Thorerum cum sociis, apud sacer- "dotem qvendam coenantes, potu venenato simul "peremtos exspirasse." (ibid. p. 223) Licet duplex illud facinus, cædis nimirum legatorum et chartarum papalium suppositarum, Sverrero haud diserte tribuat Auctor, ex tota tamen relatione manifestum est, talis atrocitatis suspicionem aliqvam Sverrerum pressisse (H ms. IV. Præf. p. XXI). Innuit idem pro parte ipse Papa Innocentius III. Ille jam d. 30 Juli 1198 in Epistolis ad Islandos scriptis, eosdem vituperavit, qvod excommunicatis communicare præsumserunt "et præsertim Suerro et excommuni- "cato et Apostatæ, Deo et sanctis ejus pro suis "actibus inimico." (Innocentii III. Epp. ed. Baluz. T. I. p. 178—79) Postqvam vero fraudem Sverreri resciverat, A. 1198 universum septentrionem contra eum excitare annixus est. Die h. A. VI. Oct. qvinqve scripsit Epistolas id negotium concernentes. Prima "Nidros. Archiepisc. universis "Episcopis et aliis Ecclesiarum Prælatis in "Norwagia constitutis" inscripta, seqvens præfert argumentum. "In vestrorum et totius populi Nor- "wagiæ criminum ultionem permittente Domino, cre- "dimus accidisse quod usque adeo in vos et totum

"regnum Norwagiæ tyrannica Sueri crudelitas et "violentia detestanda prævaluit ut et regnum nec "electione Principum, prout accepimus, nec ratione "sangvinis occuparit, et in viros ecclesiasticos ipse "quondam ecclesiastico (sicut dicitur) functus officio "debacchetur, Ecclesias opprimat, Clericos persequatur, affligat pauperes et sæviat in potentes: ita "ut divino credatur accidisse judicio, ut qui secundum etiam suam assertionem illegitime natus ad "sacros non fuerat ordines promovendus, contra "sanctiones canonicas assumptus ad eos, fortius in "illos desæviat qui in ordinatione ipsius statuta canonum non servarunt. Miramur autem . . . . "de his qui apostatam sacrilegum et nefandum "adhuc etiam sacrilegæ temeritatis ausu seqvuntur, "et ei præbent auxilium et favorem, cujus tyrannidem persequi potius pro viribus tenebantur. Licet "autem ad edomandam ejus versutiam frequens manaverit ab apostolica sede mandatum, nondum "tamen sic ejus potuit perversitas refrænari, quin "adhuc quibusdam eum seqventibus, in quadam "parte Norwegiæ dominetur, et in ea rabiem superet "aquilonis. Qui ut amplius vos et universum Norwagiæ populum circumveniret, et auctoritate apostolica regnum sibi ostenderet confirmatum, b. m. "Celestini Papæ prædec. nostri Bullam falsare non "timuit, quo varias literas sigillavit . . . Sed is cui

"manifesta sunt omnia, ejus falsitatem detexit. Ne "autem ejus perversitas desæviat diutius in insontes, "universitati vestræ per apostolica scripta districte "præcipiendo mandamus, qvatenus Norwagiæ popu-"lum diligentius moneatis ne ipsum ulterius sequi "præsumant, aut ei præstare auxilium vel favorem. "Alioquin universos sequaces ipsius, excommuni-"cationis nuncietis sententia innodatos *cc*), et clau-"dentes Ecclesias, et nullum in tota terra Norwa-"gica, qvæ ipsum seqvitur, sacramentum ecclesia-"sticum, præter baptisma parvulorum et præniten-"tias morientium, celebrantes, fautoribus ejus dece-"dentibus sepulturam ecclesiasticam denegetis. Ad "hæc, discretionem vestram nolumus ignorare, quod "cum nuntii ejus ad nostram præsentiam accessis-"sent, a nobis super facto ipsius nihil potuerunt "penitus impetrare. Vnde si quid pro eo se obti-"nuisse confinxerint, a falsariis id obtentum esse "noveritis, quorum multitudo in nostræ promotionis "initiis cum falsis bullis per nostram fuit solicitu-"dinem deprehensa." (ibid. Ep. 382. p. 226.) Ex Ep. eod. die **Nidros. Archiep.** data, seqventia, rem nostram mire illustrantia, hic, jure qvodam, inserentur: "Examinatam tuæ fidei puritatem et fer-

cc) Omnes Betulopedes excommunicatos fuisse testatur. Hms. IV. p. 233, 243, 245.

"voris constantiam, quam nec persecutio nec gla-
"dius nec fames nec exilium diuturnum a caritate
"Christi separare potuit, vel dejicere a statu liber-
"tatis ecclesiasticæ conservando, quem etiam nec
"terror coegit, nec minæ moverunt, nec demul-
"serunt blanditiæ, nec preces nec promissiones po-
"tuerunt inducere ut Suero sacrilego et apostatæ,
"qui regnum Norwagiæ per effusionem sanguinis
"et violentiam occupavit, in matris infamiam se
"asserens de regali progenie descendisse, vel laten-
"ter annueres, vel expresse faveres, dignis in Do-
"mino laudibus commendamus; et tanto amplius
"ex hoc tuæ fraternitatis fortitudini congaudemus,
"quanto in te potius persecutor exarsit, sed con-
"stantia tua ejus tyrannidem superavit. Vnde cum
"tibi contra tyrannum illum a tuis esset suffra-
"ganeis assistendum, nec eorum aliquis eidem ex-
"communicato deberet præstare favorem, utpote qui
"Ecclesias et ecclesiasticos viros servituti subjicere
"nititur, opprimere pauperes, et effundere sang-
"uinem innocentem, ferre non possumus non mo-
"leste quod Bergensis Episcopus *dd*), suffra-
"ganeus tuus, contra b. m. Cælestini P. mandatum
"et contra tuum etiam interdictum, castra ipsius

dd) Martinus scil sacerdos Sverreri aulicus in locum Pauli Ep. defuncti 1194 suffectus. Hms. IV, p. 218.

"sequi non dubitat, celebrans excommunicato di-"vina, et in ejus præsentia universa exercens eccle-"siastica sacramenta: qvi licet a te fuerit sæpius "evocatus, tuo tamen se noluit conspectui præsen-"tare. Quia vero tanta præsumtio severiori debet "animadversione puniri, fraternitati tuæ per apo-"stolica scripta mandamus, atque præcipimus, qua-"tenus Episcopum ipsum, si præmissis veritas suf-"fragatur, ab officio beneficioqve suspendas, nec "prius sententiam suspensionis relaxes, quam nostro "se conspectui præsentarit. — Quod si forsan sen-"tentiam tuam servare neglexerit, eum anathematis "censura percellas . . . . . . Sciturus quod nos præ-"dictum Suerum absoluere non proposuimus, nisi "taliter satisfaceret de commissis, quod ejus esset "satisfactio non irrationabiliter admittenda." (ibid. Ep. 384. p. 227.)

Porro Regem Daniæ (Canutum VI.) Sveciæ (Canutum Erici fil.) et Comitem Sveciæ (Birgerum Brosam) seorsim per literas eodem die datas monet, "quatenus ad defendendas Ecclesias, "Clericos in sua libertate tuendos, liberandos pau-"peres et potentes de manu persecutoris illius, im-"mo etiam ad dejiciendum monstrum illud, quod "his solis parcit quibus non potest, taliter accin-"garis, ut et a Deo retributionem æternam et no-"stram consequi gratiam specialius merearis: per-

"secutoribus tantæ iniquitatis assistas, resistas sequa "cibus; ita qvod membrum illud diaboli non possit "in regno Norwagiæ denuo debacchari, aut perse- "cutionem in Ecclesiis ulterius suscitare." (ibid. Ep. 383. p. 226. Örnhielm Hist. Eccles. Svec. p. 572.)

Attamen regnorum borealium principum nemo, Pontificis romani mandato obsecutus, contra Sverrerum arma tulisse deprehenditur; Danum qvippe Comes Holsatiæ mox bello aggrediebatur, Sveci sororem thalamo sibi junxerat Sverrerus (Suhmii H. D. VIII. p. 472—73). Cæteri vero Norvegiæ Episcopi Papæ comminationibus perterrefacti patria excessisse videntur, jam in Dania jam in Svecia commorantes (Hmskr. IV. p. 384). Saltem in Archiep. Absalonis testamento A. 1201 condito, omnes inter legatarios nominatim commemorantur (ibid. p. 433). A. 1200 in Capitulo generali Ordinis Cisterciensis statutum fuit supplicium Monachorum Ordinis in Norvegia, qvi Regi excommunicato missas celebrarunt (Martene Thes. nov. Anecd. IV. p. 1294). Hunc vero ultimum novimus Cleri in Sverrerum impetum. Discessit ille mox ex area nec victus nec victor. Bienno post A. 1202. d. IX. Mart. mortem obiit, et, licet anathemate vinctus, oleo tamen extremo opera sacerdotum perunctus ædeqve Christi Bergis conditus fuit (Hms. IV. p. 330, 330). Cum

mortis sibi horam instare sentiret, rogavit, ut vultum ejus, ubi decesserit, detectum sinerent amicisqve pariter ac inimicis inspiciendum præberent, qvo scirent illi, numqvibus corporis sui signis se proderent anathematum diræ, qvibus hostes eum devoverant (ib. p. 330). Nihilo secius Rex moribundus perspectum habuisse videntur nec se in his controversiis, ex qvibus tot regno suo calamitates redundaverant, modum servasse, nec filio Haqvino, ad tale certamen obeundum, vires sufficere, ideoqve eidem successori suo reconciliationem cum clero ineundam svasit (ibid. p. 336. cfr Suhmii H. D. VIII. pag. 663. 675). Haqvinus ergo, regno potitus, omnes Episcopos invitavit, ut se convenientes, in gratiam sêcum redirent. Ii vero exilii pertæsi, hosteqve internecino liberati, eadem æstate sedes episcopales singuli repetentes, Regi se amicissimos et deditissimos præstiterunt, Archiepiscopo regnum interdicto solvente (ibid. p. 336, 384. Suhmii l. c. p. 676). Extant literæ R. Haqvini, Archiep Erico, Episcopis, Clericis, Colonis etc. sine loco et anno, sed certe anno patris emortuali 1202 scriptæ, in qvibus, statu regni miserrimo post turbas intestinas vivis coloribus depicto, lites regiam inter et episcopalem auctoritatem ortas se depositurum, privilegiaqve ecclesiæ Norvegicæ sive ex jure canonico eidem competentia, sive a Regibus prioribus indulta

confirmaturum promittit, ea sub conditione, ut reverentiam sibi et obseqvium, tanqvam Regi legitimo, præstent (Thorkel. Dipl. II. p. 18—19). Qvæ reconciliatio, si bello civili per septem deinceps lustra ardenti finem haud imposuerit, effecisse tamen videtur, ut clerus norvagica eidem se haud amplius immiscuerit, licet Baglorum factioni præ Betulopedum semper addictior. Qvanta vero lætitia Pontificis romani animum affecit fama de obitu Sverreri, qvantumqve ipsi displicuit absolutio excommunicatorum, se inconsulto, facta, edocent literæ Innocentii III. Nidrosiensi Archiepiscopo et suffraganeis ejus Anagniæ IX. Kal. Febr. 1204. datæ, hic exhibendæ: "Exultavit cor nostrum in Domino et lætati sumus "gaudio magno valde, omnipotenti Deo dignas gra"tias referentes, quod post nubilum serenum, et "post tempestatem tranquillum induxit. Accepimus "enim . . . . . quod, defuncto Suero, qui regnum "Norwagiæ usurpaverat violenter, per quem toti "terræ imminebat confusio et turbatio generalis, ita "quod plures de majoribus, et melioribus, præter "infinitam stragem quam plurium aliorum, propter "hoc ab eo fuerant in exilium relegati, filius ejus, "in regno non in proposito succedens eidem, hiis "qui propter hoc exulabant ad propria revocatis, "Ecclesias et ecclesiasticas personas diligit, et hono"rat, terram ipsam, et populum in plena pacis tran-

